

possibilitatem intrinsecam & absolutam, dici non possent educi de nihilo, subdistinguo; dici non possent educi de nihilo quoad essentiam, conced. quoad existentiam, N. min. & similiter distinguo consequens; non posset dici res esse creatas quoad possibilitatem intrinsecam, Conc. consequ. quoad existentiam, N. consequ.

Inst. 3. Atqui nullo modo possent educi de nihilo, ergo nulla solutio. Prob. subs. Essentia & attributa ab aeterno sunt aliquid; sed res deducuntur, seu componuntur ex essentialibus, & attributis; ergo non educuntur ex nihilo.

Resp. Dist. maj. Essentia & attributa ab aeterno sunt aliquid existens in intellectu divino, concedo; seorsim ab intellectu divino, N. maj., & concessa min. distinguo similiter consequ. . Quare ut res dicantur educi de nihilo, sufficit ut nihil fuerit extra mentem divinam, quo usus fuerit Deus ad res efformandas; non autem requiritur ut nihil sit etiam in intellectu divino, a quo educantur: alioquin admittendum esset, Deum esse sine ideis rerum, juxta quas res ipsae productae fuerunt.

Inst. 4. Si essentia rerum essent ab aeterno, res possent dici aeternae quoad principalem sui partem: absurd. Conf. ergo & Ant.

Resp. Dist. seq. Idest posset dici essentiam & attributa rerum ab aeterno existisse in intellectu divino, concedo; seorsim ab eo, N. sequelam, & similiter distincta min. N. Conf.

Inst. 5. Si ideo essentia rerum, & attributa